[illegible]

EXAMEN PVBLICVM

III. SVPERIORVM CLASSIVM

GYMNASII HELMSTADIENSIS

DIE XII MENSIS APRILIS ANNI MDCCCCXXIV

INDE AB HORA VIII. MATVTINA ET II. POMERIDIANA

HABENDVM

INDICIT

G. F. C. GÜNTHER, Dr.

GYMNASII DIRECTOR.

Inest explanatio loci Herodotei de Θείω Φθονερῷ.

HELMSTADII,

EX OFFICINA LEUCKARTIANA.

Cum plurima primi ordinis discipulorum pars diligentia sua intentoque studio adeo profecerit in carminibus Homericis probe cognoscendis recteque interpretandis, ut provectiores etiam ultra pervulgata grammatices Homericae praecepta tritarumque rerum notitiam sapere et possint et debeant, jam non solum difficiliora quaedam dicendi genera eorumque originem et rationem accuratius tractare, sed etiam veram vitae humanae et divinae imaginem, qualem sibi animo effinxit aetas Homerica, data occasione exprimere incepi. Ita interdum disputamus de moribus singulorum heroum deorumque, de finibus bonorum et malorum, de iis potissimum virtutibus, quibus sibi inclarescere visa esset aetas Homerica. Talis enim non rerum modo sed etiam notionum investigatio quantum valeat non magis ad acuendum ingenium quam ipsum scriptorem accuratius cognoscendum, nihil dubitari potest. Cum autem omnia comparatione magis illustrentur, nonnunquam ad posteriorum temporum scriptores devertimur, ad eos potissimum, qui propius ad Homericam aetatem accedunt. Hic cum tragicis poetis principem locum jure suo obtinet Herodotus, quem quasi comitem addidi Homero domestica discipulorum diligentia pertractandum.*) Ex eo scriptore locum de Θείῳ φθονερῷ desumpsi, quem data hac scribendi opportunitate ad comparationem cum Homericae aetatis opinionibus instituendam proponerem. In quo quidem cum

*) De regenda domestica discipulorum in evolvendis scriptoribus Graecis et Latinis diligentia eaque cum publica institutione arctissime conjungenda alio tempore disseram.

summa fere religionum Graecarum contineri videatur, non alienum judicavi fontem ejus investigare et, quantam ad recte beateque vivendum vim habuerit, paucis demonstrare.

Invidere igitur *Deos* rerum humanarum fortunae ita putabant veteres Graeci, ut, si quis hominum humanae vitae et conditionis modum statumque quavis re excessisset, eum reprimere, punire et de majore loco detrudere prompti essent. Pari invidia persequuntur et ipsius vitae nimiam felicitatem longioremque diuturnitatem atque etiam majores prudentiae et sapientiae progressus. Ut de singulis aliquot exempla addam, notissimus est locus apud Herodotum Lib. I, 32. Croeso enim omnium se beatissimum praedicante postquam Solo Atheniensis Telli et adolescentium illorum Argivorum Cleobis et Bitonis fortunam anteposuit, neminem ante mortem beatum esse docet *ἐπιστάμενος τὸ θεῖον πᾶν ἐὸν φθονερόν τε καὶ ταραχῶδες.* Et recordatus est Croesus Solonis sententiam, ut, cum in rogo jamjam ardente impositus esset, continuo Solonis nomen exclamaret dicto ejus fidem faciens I, 86. — Alius apud eundem locus manifestus legitur Lib. III, 39 sqq. Hospitium contraxerat Amasis, sapientissimus regum Aegyptiorum cum Polycrate, prudentissimo Sami tyranno; cum vero, hospitem quamvis sibi carum *εὐτυχέειν τὰ πάντα* neque volentem adversa quadam uti fortuna intellexisset, ne instante deorum ira atque invidia nimium ex amici miseriis dolorem perciperet, sua sponte hospitium solvit his verbis: Ἡδὺ *μὲν πυνθάνεσθαι ἄνδρα φίλον καὶ ξεῖνον εὖ πρήσσοντα· ἐμοὶ δὲ αἱ σαὶ μεγάλαι εὐτυχίαι οὐκ ἀρέσκουσι, ἐπισταμένῳ τὸ θεῖον ὡς ἔστι φθονερόν.* Eandem sententiam profert *Artabanus* nobilis Persa et regi ab intimis amicis Lib. VII, 10. Dissuasurus enim Xerxi expeditionem contra Graecos faciendam monet regem, ne res suas maximas caeterisque potentia et splendore praestantes in eximia Deorum tutela fore credat: *φιλέει γὰρ ὁ θεὸς τὰ ὑπερέχοντα πάντα κολούειν.* Idem alio loco (Lib. VII., 46), cum

regem prope Abydum copias suas spectantem et inter ipsum hoc negotium illacrymantem conspexisset, recte eum facere dicit in varia ista et tam incerta rerum humanarum fortuna, ut ipsa mors hominibus optatissimum sit perfugium: nam ὁ θεὸς γλυκὺν γεύσας τὸν αἰῶνα, φθονερὸς ἐν αὐτῷ εὑρίσκεται ἐών. — His et aliis Herodoti aliorumque scriptorum et poetarum locis, quos congerere plures supersedeo, satis intelligitur, ex veterum Graecorum opinione τὴν ἀνθρωπηΐην εὐδαιμονίην οὐδαμᾶ ἐν τὠυτῷ μένουσαν (ut est apud Herodotum I, 5.) sive vitae humanae inconstantiam et nimiam in pejus proclivitatem a *diis ipsis invidis* (θείῳ φθονερῷ) esse constitutam.

Eadem invidia persequuntur veterum Graecorum Dii, si quis cum alia quavis re tum vitae diuturnitate datos sibi fines excedere voluerit. Testimonio est, quod mythographi (Apoll. III, 10, 4.) et poetae Aesculapium, cum arte sua hominum vitam continuasset et mortuos etiam in vitam revocasset, a Diis invidis punitum et ipsum ad inferos detrusum esse narrant. Simili poena luebat Prometheus, qui cum sapientia et prudentia caeteros mortales multo antecederet atque ingenio et arte ita polleret, ut reclusa etiam naturae adyta aperiret, ira Deorum excitata subito abreptus et immani supplicio affectus est. — Sexcentis aliis Graecorum fabulis et narrationibus id efficitur, si quis hominum ultra praescriptum vitae ingeniique humani statum processisset, excitatam esse Deorum invidiam eamque non prius sedatam, quam immodestum istum et superbum hominem intra fines debitos repressissent. Itaque, ut est apud Horatium, *) quoniam

Coelum ipsum petimus stultitia — non
Per nostrum patimur *scelus*
Iracunda Jovem ponere fulmina. —

Jam vere hanc invidiam, qua apud veteres Graecos Dii non magis

---

*) Carm. I. 3, 38. sqq.

sceleratorum facinora punire quam vel optimi cujusque nimios et vitae et sapientiae progressus, imprimis majorem felicitatem persequi putabantur, hoc fere modo interpretandam esse arbitror. Natura ut omnibus rebus ita et Diis et hominibus certos quosdam fines „quos ultra citraque nequit consistere rectum" constitutos esse veteres putabant. Itaque intra suos quisque fines suum vitae cursum peragere et sapientiae felicitatisque modum tenere suum jussus erat. In quo si quis peccaverat „non tangenda transiliens vada," ex superiore statu ad inferiorem deprimebatur, ita ut ipsi Dii inter homines exulare iisque servire cogerentur, homines etiam in beluas converti crederentur. Ita hominem decebat suam sequi naturam, nihil humani a se alienum putare, gaudere, dolere, agere, studere, vita, dum maneat, probe frui, quem sors dierum cunque dabit, lucro apponere, permittere divis caetera. At τὰ ὑπερέχοντα πάντα κολούει ὁ θεός: οὐ γὰρ ἐᾷ φρονέειν ἄλλον μέγα ἢ ἑωυτόν; ita ut nihil aliud quam sua tueri viderentur Dii, si quando altiora petentem hominem superbiae poenas luere juberent. Erat autem Deorum vita cum auctoritate, potentia, sapientia et omnibus corporis animique viribus tum maxime majore et constantiore felicitate insignis.*) Si quis ergo mortalium sive sua sive fortunae opera majorem et certiorem quam pro humanae vitae conditione felicitatem percipere videbatur, eum Diis odiosum esse Deorumque invidiam moveri necesse erat. Quo factum est, ut ex veterum mente divina ista invidia, quae suos quasi fines tueretur neque alios per vim et injuriam eos invadere pateretur, non crimini verteretur Diis, sed potius pro virtute et ex aequo foedere esse judicaretur. Ut enim homines vitam suam et tecta et liberos et quidquid cari gratique habent, ab immani quolibet impetu defen-

*) Dii enim soli sunt ῥεῖα ζώοντες, μάκαρες θεοί, αἰὲν ἐόντες; contra homines δειλοὶ βροτοί, τολυπεύουσιν etc.

dunt neque beluas suae vitae participes esse patiuntur, ita et Dii altiora hominum studia deprimere ipsosque a beatis suis sedibus retinere et volunt et debent. —

Cum vero, quas veteres de Diis suis perceperant opiniones, omnes fere ex sua ipsorum vita desumptas et Deorum vitae imaginem ex humana fictam esse credamus, hanc quoque de Diis invidis inanem superstitionem ex eodem fonte derivandam esse arbitramur. Nam veterum vita inde a primis fere rerum publicarum temporibus ita instituta erat, ut inter singula hominum genera permagna discrimina posita esse viderentur, aliis majore aliis minore libertate, potestate et vitae felicitate fruentibus. Certis finibus disjuncti erant ingenui et liberi a servis et libertinis, et viri usque fere majore vitae libertate et jucunditate fruebantur quam feminae. Praeterea inter ipsos cives ingenuos et liberos spatiis quibusdam circumscriptis, intra quae salva sua quidem et aliorum libertate et auctoritate agerent, si quis civilem modum excedere, *τὴν τυραννίδα* affectare et cum publicae salutis damno supra alios se extollere videretur, in omnium invidiam odiumque incurrebat et gradu depellendus esse putabatur. Neque sceleratis tantum id accidit neque malis tantum artibus invidia illa et odium parabantur, sed ut ipse Aristides ob meritam eximiae justitiae famam testarum suffragiis in exilium decem annorum actus est, *) ita quisquis etiam bonis artibus nimium se extollere et praepotens fieri ordinemque publice constitutum summovere suspectus esset, judicio isto haud spernendo pro temporum ratione ad locum suum reducebatur.

Ex hoc quidem fonte illa veterum Graecorum opinio de *Θείῳ Φθονερῷ* manasse et hac ratione judicanda esse videtur. Quam vero vim in homines et potestatem ad recte beateque vivendum habuerit, ex hoc fere intelligi potest. Nam cum intra spatia quaedem diligenter circumscripta generis humani natura decurrere et cunctae hominis vires et corporis et animi ex legibus quibusdam accurate definitis pendere putarentur, nihil magis cuique optandum esse poterat, quam ut *verus esset homo* hominisque partes probe ageret, neque ad beluas descendens neque coelum stulti-

---

*) Cf. Plut. Arist. c. VII. (323.) ubi haec leguntur *τοῦ ἀγραμμάτου καὶ παντελῶς ἀγροίκου· Οὐδὲν (κακὸν πεποίηκεν) Ἀριστείδης, οὐδὲ γιγνώσκω τὸν ἄνθρωπον, ἀλλ' ἐνοχλοῦμαι πανταχοῦ τὸν Δίκαιον ἀκούων.*

tia petens. Praestantissima omnium, quae inde possent derivari, virtutum jure merito habebatur σωφροσύνη, *modestia*, cui palmam tribuit cuncta antiquitas. Μηδὲν ἄγαν! cum alii sapientes monebant tum sapientissimus omnium Solo probe scientes, veterum vitae nihil utilius, nihil praestantius evenire posse, quam *modum tenere* in unaquaque re. Hac quidem lege, cum a vano divinitatis studio, ut ita dicam, repulsus et intra merae humanitatis fines coarctus esset hominum animus atque omnis cogitatio, cautum est, ne agmini libidinum et voluptatum, ad quas proclivis esse solet humana natura, habenas nimium immittentes dignitatem humanam nihil pensi haberent. Ita vera illa *modestia* firmum quasi *fulcrum* erat et regimen virtutum, neque antiquius quidquam sequi poterant veteres, quam *modeste*, sana et integra mente viventes summum *humanitatis* fastigium affectare. Idem suadebat *metus Deorum*, ex eodem fonte haustus isque solus quasi affectus, quo erga Deos suos commoveri poterant veteres et debebant. Cum enim vitam divinam ab humana certo discrimine secretam esse ipsosque Deos provinciam suam jure merito tuentes superbo cuique et immodesto usurpatori invidere eumque repellere putarent, mutuas inimicitias et aeternas Deorum hominumque genera exercere et hostili inter se animo agere videbantur. Diis autem majore et corporis et animi robore tutis et securis, hominum erat, Deos usque timere et sollertissime curare, ut votis datis et solutis sacrificiisque saepissime et rite peractis propitios sibi quisque rebus redderent. Ita veterum pietas erga Deos in eo tantum spectari poterat, ut omni cura proprium Deorum odium et invidiam arcerent eosque quoquo modo possent placarent. Postremo recte beateque vivere ii fere putabantur, qui modestia in rebus humanis et timore erga Deos affecti essent: ii Διίφιλοι, Θεόφιλοι, Diis maxime cordi esse videbantur.

Quantum a perversa hac veterum Graecorum superstitione Jesu Christi doctrina discrepet, qua praescriptum est, ut exuta vili humanitate ad similitudinem Dei patris amicissimi enitamur, non hujus loci est, pluribus demonstrare.